

Si Saturnus inueniatur in quarta domo in domicilio uel exaltatione Iouis, natus inueniet res subterraneas, seperabit se à parentibus, habebit Azemenam, uidebit mortem filiorum suorum. Et si Venus & Mercurius aspiciunt eum, abscindentur ei genitalia.

Saturnus fortunatus, aspiciens dominum ascendentis benigne, & magis cum fuerit dominus quartæ, res paternæ ad natum hæreditate redibunt.

Saturnus in die in quarta domo, significat natum regia largitione patrimonium adepturum, aut fore regis thesaurarium. Si autem ibi in nocte fuerit, significat patrimonij amissionem.

Luna in quarta, si non fuerit in dignitatibus Iouis, & infortunæ eam uiderint, patrimonij amissionem, & magnum nato infortunium decernit.

Dominus secundæ domus fortunatus multis modis, & si multi planetæ applicent ei dantes ipsi uim suam, natus lucrabitur multum ex diuersis partibus secundum naturam locorum, ex quibus fiunt applicationes in mundo & figura.

Planeta primò intrans locum Lunæ in nocturnis, aut locum Solis in diurnis dabit qualitatem finis in diuitijs & paupertate.

Si dominus ascendentis separatur à domino secundæ, natus non laborabit uehementer pro diuitijs, sed expectabit quiete quicquid sibi offeretur.

Dominus secundæ separatus à domino ascendentis, significat quòd natus multum sollicitus erit pro diuitijs, uix tamen habebit integrum quod petit aut sperat.

Dominus ascendentis si applicat domino secundæ retrogrado danti ei uim suam, natus laborabit multum, sed quando uenietur quasi ad articulum lucri, intercipietur ei cum molestia.

Si dominus ascendentis retrogradus applicat domino secundæ, reddens ei uim suam, nato aperientur multæ uix lucrandi, uerum propter segniciam suam, non consequentur aliquid.

Dominus secundæ in loco cooperto, significat multas diuitias, maxime si fuerit Iupiter. Si autem fuerit Saturnus uel Mars, significabit magnam quidem substantiam, sed laboribus & pœnis acquirendam.

Si natus habiturus est diuitias, & dominus secundæ fuerit in ascendente, habebit in infantia; Si in Medio cœli in adolescentia; in septima, in senectute.

Non proficiet nato substantia propter fortitudinem domini secundæ, nisi Iupiter aut Venus testificentur, testimonium autem Iouis, significat consumptionem diuitiarum in rebus honestis ac eleemosinis. Veneris uero in uoluptatibus.

Si deest aspectus Iouis uel Veneris, natus congregabit substantiam, nec ipsi proderit in hoc seculo, neq; in futuro.

Si propter complexionem domini ascendentis, & domini secundæ, significantur diuitiæ. Et dominus ascendentis fuerit fortis, dominus autem secundæ debilis, natus multum fatigabitur quærendo, tamen nihil aut parum lucrabitur, & e contra; Si dominus ascendentis fuerit debilis, dominus autem secundæ fortis, natus quamuis piger, habiturus est multas opes.

Caput in secunda discedens ad ascendens, dat nato diuitias cum profectu à dominis & regibus. Cauda contrarium.

Nō erit pauper, in cuius natiuitate Iupiter habuerit aliquod testimoniū diuitiarū.

Sol in diurna, & Luna in nocturna in domo fortunæ, & maxime Iouis, Ioue in bono loco, & statu ab ascendente, domino secundæ saluo ab infortunis existente dabit nato diuitias magnas, & statum altum.

Si Mars fuerit dominus ascendentis, & dominus partis fortunæ, cadens in domum substantiæ, absq; aspectu fortunæ, natus dissipabit substantiam paternam.

Occasio